



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Liber VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

## EVANGELIUM

Cap. 18.

in orbe ad finem usq; sæculi turba calamitatesq; et quomodo se in ijs gerant fideles. Vbi uehementer suos adhortatur ad preces pertinacissimas, pollicens etiã deum suos uindicaturũ. Et quoniã plures erant qui in scipos confidebant, proponit parat olam pharisæi et publicani ascendentium in templum, & docet quæ sit uera iustitia, & quomodo iustificemur homines. Quibus expositis erudit quid de salute infantium semiamus: quid quisq; boni faciat ut regnum dei possideat: quã difficulter diuites ingrediantur in regnum dei: quid præmij paratum sit relinquẽtibus propter dominum facultates huius sæculi, indicat ibidem suis dominus quid ipse sit passurus.

Cap. 19.

Sequitur deinceps cæci illuminati historia, & Zachæi illius nobilis publicani uocatio & receptio in gratiam Christi: quibus erudimur quomodo omnes homines illuminemur, recipiantur in gratiam, ac iustificemur, & quid iustificati operentur, aut quomodo erga deum & erga proximos se gerant.

## LIBER VII.

Christus  
rex & sacerdos.

**E**XERCIVIT munia sacerdotalia dominus noster Iesus toto tempore dispensationis suæ, præcipue tamen ultimis illis diebus quibus salutem nostram moriens

moriendo & resurgendo plene absoluit. Proinde quo propius accedit ad urbem, eo significantius declarat se regem esse & pontificem populi dei, muniaq; sacerdotis & regis perficit. Ac initio cum inter suos etiam nonnulli essent, qui arbitrabantur regnum Christi fore terrenum, & iamiam id ipsum exoriturum, eximit eum errorem dominus, ac parabola docet quale nam regnum illud Christi, et quando sit futurum. Mox in urbem ascendens insidens inuectus, glorioso, sed humili illo suo aduentu declarat se esse regem illum expectatum populi dei. Priusquam tamen ingrediatur deflet caecae urbis fata, calamitatesq; quas significantissime praedicit, causamq; calamitatum subijcit. Et quoniam regis est collapsa restitueret, & deprauata ressecare, templum ingressus, eicit ementes & uendentes, ipse uero in templo concionatur quotidie.

Rogatus a sacerdotibus a quo sit inauguratus rex Cap. 20.  
& sacerdos, ostendit omnem se caelitus a deo auctoritatem habere. Porro rebelles grauissime increpat parabola uinae & colonorum inducta, interim excidium, quod ipsis propter rebellionem imminerebat, abumbrans. Deniq; quando sacerdotis sit docere populum dei & contradicentes reuincere, subijcit Lucas disputationes & colloquia aliquot domini habita cum aduersarijs. Primo docetur quid deo, quid magistratui debeamus. Secundo

## EVANGELIUM

Cap. 21. differitur de Spe sanctorum, de Resurrectione mortuorum, & qualis sit uita in futuro seculo. Tertio ostenditur quid unice spectandum sit in omnibus scripturis, Christus uidelicet uerus deus & homo saluator mundi. Quibus absolutis pingit dominus pro munere sacerdotali pseudosacerdotes, à quorum corruptela admonet suos diligenter sibi caueant. Mox approbat uiduæ donum gazophylatio illatum in templo. Vbi occasionem sumit copiosissime differendi de excidio urbis & gentis Iudaicæ. Ab eo excidio defertur ad interitum quoque totius orbis finemque mundi, denique ad signa proxime extremum diem præcedentia, definienda seu designanda. Vbi fideles diligentissime adhortatur ad uigiliam & sobrietatem, ne inopinato casu cum infidelibus opprimantur & pereant.

## LIBER VIII.

Cap. 22.

Sacrificiū  
Christi.

**P**ERFECIT hæcenus omnia ad hostiam usque præcedendam offerendamque sacerdotalia munia dominus, restabat ergo expiatorium modo sacrificium perficiendum: proinde Lucas per consequentia passionem & mortem domini, quæ unica & salutaris est semel pro peccatis totius mundi oblata uictima, describet. Et initio designat tempus, deinde commemorat mortis causas:  
hinc